Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 631
Quelle:
Copyright:

notitia apochriphorum uel heresum a gelasio romane ecclesie episcopo constituta.

V. *fol.* 34. p. 2. *Incipit epistola sancti augustini episcopi ad simplicianum episcopum.* Ita: *Plenas bonorum gaudiorum litteras* &c. Extat Edit. *Maur.* T. II. *n.* XXXVII. *col.* 81. et rursus T. VI. *col.* 79. ante II. *Libros de diversis Quaestionibus* ad eund. *Simplicianum.* Adhaeret Epistolae, nescio cur, *Libri II. Quaestio 3. col.* 115. de *Saule, Samuele* et *Pythonissa.*

VI. *fol.* 35. p. 2. *Incipit epistola beati hieronymi ad euangelum presbyterum, quomodo presbyter et diaconus diferant.* Initium: *Legimus in isaia* &c. Extat Edit. *Vallars.* T. I. *col.* 1074. Nihil in nostro Exemplo post *Tanim* de *Guarmatia* sive *Wormatia*, unde convalescit *Victorii* opinio, hanc tempore primum *Burchardi* irrepsisse.

VII. *fol.* 36. *Incipiunt capitula sanctorum patrum.* Initium: *Et ne forte aliquis dicat, quod insinuatio gratie rudis sit ac nouella et a nullo alio tam deliberate et tam frequenter quomodo a sancto augustino episcopo commendata est, quid et inde Innocentius papa urbis rome in sede apostolica constitutus predicauerit, quid etiam sanctus ambrosius mediolanensis episcopus senserit, quid sanctus hieronymus presbyter insinuauerit, aliqua ex ipsorum libris capitula adhibenda credidimus, ut qui rome hucusque plus quam oportuit incaute et simpliciter credidit, ad tantorum patrum regulam animum suum inclinare et adcommodare non dubitet.* Sequuntur igitur XVII. horum Patrum Loca pro sententia catholica de Gratia et libero Arbitrio. Excerpta haec putem e cujusdam *Romanae* Synodi Actis, aut Pontificis Literis post *Caesarii Arelat.* et *Fulgentii Rusp.* tempora, neque memini, me edita legisse.

VIII. *fol.* 38. *Incipit liber beati augustini in regulis LVIII. ad aedificationem catholice fidei.* Sed opportune coaeva manus superscripsit: *sunt gennadii presbyteri massiliensis.* Huic enim rite tribuuntur in Edit. *Maur.* T. VIII. *Append. col.* 75. Initium: *Credimus unum esse deum patrem* &c. Finis in editis: *similitudinem in moribus inueniri;* in Codice: *masculum et feminam creavit eos;* nam 9. lineis ultra procurrit.

IX. *fol.* 42. p. 2. *Incipit sancti hieronymi ad domnionem.* Epistola videlicet T. I. Edit. *Vallars. col.* 234. quae orditur: *Literae tuae et amorem pariter sonant* &c. Verum in Cod. abrumpitur in his verbis: *in utramque partem, hoc est* — —. Noto tamen, in hoc Fragmento pro αὐτοδίδακτος legi θεοδίδακτος, quod in suis non invenit *Vallarsius.* Ceterum lectionem hactenus relatorum per se difficilem difficiliorem reddit conditio Codicis *rescripti;* continebant enim hae Membranae splendidissimum olim, et Seculi, ut videtur, V. Exemplum *Pharsaliae Lucani* litera quadrata luculenta exaratum, quod ita abrasit infelix ignorantia,

ut